



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XIII. Tractatur altera sententia præcedenti contraria, negans datam esse à
Deo legem dandi auxilium gratiae facienti quod in se est ver vires naturæ
ad seruandam legem naturalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

frā in cap. 15. & 16. commodius declarabimus. Verumtamen ne hic sensus ad rem præsentem facit, quia præcipua difficultas est de infideli nondum excitato, nec vocato per gratiam, quia fidei auditum non habuit, & ita non potest per priorem supernaturalem gratiam, sed per naturales vires operari, ut primam excitationem gratiæ supernaturalis habet.

Est ergo ultimus sensus, ut de prima excitante gratia sit sermo, ante quam non potest homo facere aliquid per vires gratiæ, cum illas non habeat; intelligendum ergo erit axioma de faciente quod in se est per vires naturæ, & in hoc sensu intelligunt Doctores citati illud axioma, cum quibus sentit Gerson. 1. p. Alphab. 21. liter. D. dum ait illum facere quod in se est, quia via naturalis rationis facit, quod nouit. Fundamentum eorum fuisse videtur, quia hic etiam sensus est necessarius, ut verum in vniuersum sit Deum dare omnibus hominibus sufficiens supernaturale auxilium ad salutem, nam multi sunt homines qui tale auxilium actu & in se non recipiunt, cum fidei prædicationem, aut reuelationem non habeant; ergo ut Deus aliquo modo det illis tale auxilium, necesse est ut illud offerat homini facienti quod in se est per eas vires quas habet, nimirum per rationem naturalem & libertatem, quia talis homo alias vires non habet, nec Deus consulit illas, nec aliam viam ad illas obtinendas illi præbuit. Constat, ponamus illum hominem facere quod in se est per vires quas habet, hoc enim non repugnat, cum nihil includat superans potestatem talis hominis: tunc vel Deus dat gratiam tali homini, & habetur intentum, vel non dat, & tunc non per hominem, sed per Deum stat quominus homo ille saluetur, quod dici non potest. Item homo ille non potest iuste damnari, quia iam fecit, quod potuit. Denique valde consentaneum est bonitati & prouidentia Dei, ut bene videnti viribus acceptis, maiores præbeat, ut progredi possit: & ita hunc vniuersalem sensum indicat Gerson. 2. p. Alphab. 24. liter. M. dicens, nulli facienti quod in se est, bene videnti donis Dei, iam habitis, deest Deus in necessariis ad salutem, siue illa credenda, siue operanda sint. & consonat quod dixit Nazianz. orat. 2. in laudem Basilij. Deo gratum est quod pro viribus efficitur: ergo pulcherrime & sine inconueniente creditur in omni statu hominis viatori facienti quod in se est per vires, quas habet, Deum non denegare gratiam in eo statu necessariam, quod inde non sequitur quod homo mereatur gratiam, sed quod Deus prouideat homini necessitatem patienti. Ethatenus de hac sententia: prius enim quam de illa iudicium proferamus, aliorum opiniones tractanda sunt.

CAPVT XIII.

Tractatur altera sententia precedenti contraria, negans datam esse à Deo legem dandi auxilium gratiæ facienti quod in se est per vires naturæ ad seruandam legem naturalem.

rentes contrariam doctrinam esse certissimam, omniumque Thomistarum, & aliorum Doctorum, & de mente Augustini, & D. Thomæ, & præcipue negant esse aliquam promissionem à Deo factam, seu legem propter Christum statutam dandi primum gratiæ supernaturalis auxilium homini facienti quod in se est absque auxilio.

Ad hoc autem probandum inducunt Aug. ^{Sententia negans dari à Deo auxilium gratiæ facienti naturaliter, quod in se est.} ^{Probat ex 5 Aug.} p. 1. dicentem ex duobus hominibus æquæ affectis, Deum vnum illuminare, alium non illuminare, solum, quia ita sibi placet. quod maxime solet exemplo paruulorum confirmare, in quibus non potest assignari differentia vel ex parte ipsorum, quia capaces non sunt, nec ex parte parentum, quia conantibus & desiderantibus parentibus iustis & bonis, interdum non possunt baptizari infantes: & è conuerso licet parentes sint iniusti, & negligentes, Deus prouidet alium modum, quo infans baptizetur & saluus fiat, & idem contingit in adultis, vocat enim Deus interdum iniquissimos transgressores legis naturalis & conuertit: & non vocat moderatos, & seruantes, ut possunt, legem naturalem. Hæc est doctrina & ponderatio citata apud Aug. in libris quos sæpe citauimus lib. 1. ad Simplic. q. 2. præsertim circa finem epist. 107. & optimè 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 22. & sæpe aliis. Ergo Deus in danda vocatione, vel auxilio excitante non seruat illam legem de faciente quod in se est, ante auxilium gratiæ, nam si eam seruaret, semper vocaret potius obseruatorem legis naturæ, quam transgressores, & si nullum inueniret seruantem illam, vocaret potius minus malum, quam nequiorem, quia est eadem proportio, & ratio, ergo signum est, nullam esse talem legem, nam si esset, Deus seruaret illam, tum, quia non potest negare se ipsum, tum quia respectu Christi ex iustitia obligaretur.

Secundò: doctrina Augustini est, & certa, nullum bonum, quod sit initium salutis, posse à nobis fieri per facultatem liberi arbitrij: si autem esset lex à Deo posita, ut facienti quod in se est per liberum arbitrium, daretur auxilium sufficiens, eo ipso bonum aliquod factum ex natura esset initium salutis: ergo secundum Augustinum nulla est talis lex à Deo data. Maior traditur ab Augustino lib. de prædest. sanct. per totum, & lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 8. & quæst. 2. ad Simplic. & aliis innumeris sæpe citatis, & quod caput est etiam in Conciliis Araus. & Trident. definitur. Minor per se nota videtur, quia posita illa lege necesse est, ut bene videnti libero arbitrio naturali, ratione illius boni vsus detur auxilium gratiæ. Dices non esse rationem, sed conditionem sine qua non. Sed contrà, quia in hac materia hæc duo non separantur, quia conditio sine qua non, licet physicè non sit causa per se, sed per accidens, nec sit propria ratio effectus, tamen moraliter est ratio & causa, præsertim supposita lege, & quasi pacto sub tali conditione, utique dandi auxilium, si feceris quod in te est. Ut ideo sicut respectu totius prædestinationis non potest dari ratio ex parte nostra, ita nec conditio sine qua non. Idem autem est de primo gratiæ auxilio quod de tota prædestinatione. Item aliàs posset dari ratio ex parte nostra, cur Deus hunc vocet, & non illum, quia ad hoc satis est ratione reddere conditionem necessariam: ut v. g. quia hic fecit quod in se est, & non ille: consequens autem est contra Augustinum d. q. 2. ad Simplic. & dicta q. 6. & 8. ex octuaginta tribus, & lib. de spirita & lit. cap. 34. & sæpissimè. Vnde Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 25. aliàs cap. 9. in fine. *Profunditas* (inquit) *illius questionis, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi*

liberi arbitrij velle, & nolle non soluitur; quia licet infir-
mum bonum nolle, tamen nisi donatum non habet bo-
num velle.

Tertio argumentum sumunt ex sententia Semi-
pelagianorum, quia illi nihil ampliùs dicebant, nisi
quod Deus cum in hominē aliquid bonæ volun-
tatis inspexerit, illuminat, & confortat illum, &c.
ut lib. 1. ex Cassiano & aliis visum est, & impugna-
tur à Prospero contra Collectorem, cap. 4. & sequen-
tibus. Quid est autem aliud, Deum dare gratiam
facienti quod in se est, nisi cum viderit in illo ali-
quem bonum visum liberi arbitrij, auxilium gra-
tiæ adiungere? ergo sicut reprobata est ab Augu-
stino, Prospero, Concilio Arausiano, & Tridentino
illa sententia Pelagianorum, ita non est admitten-
da illa lex, ex qua eadem doctrina sequitur. Nec e-
nim locum habet responsio quod Semipelagiani
ponebant meritum gratiæ de condigno, vel de con-
gruo, nam hoc potius negabant, ut supra visum est,
sed quia affirmabant ex parte nostra aliquid posse
præcedere, quod intuens Deus dat gratiam, hoc
satis visum est ad eorum sententiam reprobandam.
Imò non constat eos assertisse hoc fieri à Deo
ex certa lege statuta, & quocumque modo id asse-
ruerint, reprobatur: ergo multo magis ponendo
legem & promissionem sub conditione, nam talis
conditio inducit debitum legale, quod ad iusti-
tiam aliquo modo pertinet, secundum D. Tho-
mam 2. 2. quæstio. 80. art. 1. nimirum, quia in-
cludit pactum & conventionem, in qua necesse est
aliquam rationem iustitiæ, saltem imperfectæ,
fundari, ergo si illa admittatur, ratio gratiæ de-
struitur, quod est potissimum argumentum Au-
gustini contra Semipelagianos, quia vera gratia
debet esse sine omni merito, ut idem Augustinus in to-
ta epistola 105. & 106. prosequitur, & lib. 4. contra Iu-
lianum, cap. 3. lib. de patientia, c. 20. & aliis sæpe: ma-
ximè verò toto lib. de prædest. sancti, à cap. 2. & 3.
& ex illo Prosperus ad excerpta Genuesi, cap. 3. & 4.
ponderans cum Augustino illud Psalmi, 53. Pro nihilo
saluos facies illos, quia non dixit, pro exiguo, sed pro
nihil. Idem contra Collator, cap. 6. & lib. 1. de vo-
cat. gent. cap. 18. Fulgentius de incarnatione &
grat. cap. 16. & P. Diacon. cap. 8. Denique ad id
confirmandum sunt optima verba Ambrosii lib. 2.
in Lucam 8. penult. ubi adducens illud Psalmi, 126.
nisi Dominus custodierit civitatem, &c. cum dixisset
non posse homines sine Deo edificare, nec custodi-
re se ipsos, adiungit: Audeo tamen etiam ego dicere quod
homo non possit viam adoriri, nisi Dominum habeat præ-
uiantem.

Vnde est quartum argumentum, non potuisse
hanc legem statui propter merita Christi, nec Chri-
stum illam mereri potuisse, nam per talem legem
destrueretur ratio gratiæ; sed Christus non meruit
ut gratia eo modo daretur hominibus, ut iam non
esset gratia: ergo nec talem legem meruit. Maior
probata est, quia licet facere illam legem respectu
nostri fuerit gratia, posita verò lege, illam implere
& dare auxilium facienti quod in se est per natu-
ram, iam non esset gratia, sed debitum ex vi pro-
missionis sub tali conditione operum, & sic dare-
tur ex operibus, & consequenter non esset gratia,
ut argumentatur Paulus Ro. 11. Ergo per talem le-
gem destrueretur ratio gratiæ. Minor autem, scilicet
hoc Christum non meruisse, hec potuisse talem
conventionem cum Patre suo facere, probatur ex
infinitis Scripturæ locis, in quibus dicitur salus da-
ti nobis per Christum ex pura misericordia, & gra-
tia respectu nostri, Rom. 15. Gentes autem super
misericordia honorare Deum, ad Tit. 3. Non ex ope-
ribus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam miseri-
cordiam saluos nos fecit.

Quinto, quia aliis adiutorium gratiæ subiunge-

retur obedientiæ humanæ, essetque gratia non du-
ctor, sed pedissequa liberi arbitrij: consequens est
erroneum; ergo illa sententia admitti non potest, se-
quela patet, quia si Deus dat gratiam facienti quod
in se est, iam præcedit bonus visus liberi arbitrij
primam gratiam, & est ratio eius: ergo gratia sub-
iungitur obedientiæ humanæ; nihil enim aliud est
subiungi illi, & esse pedissequam, nisi sequi ex illa
ceu obedientiam humanam, id est, humanis viri-
bus præsticam præcedere, & gratiam subsequi. Se-
cundò, quia Augustinus sapissimè contrariam
tanquam certissimum docet, præsertim epist. 107.
ad Vitalem, ubi ad hoc latè expendit verba Psalmi,
26. a Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volu-
nt, ponderans non dixisse, quia voluit, sed & voluit,
quia voluntas sequitur ductum gratiæ, non de-
conuerso. Tertio propositionem illam in Cassiano re-
prehendit Prosperus contra Collectorem, capite quarto
& sequentibus: vnde capite trigésimo nono de-
finit. 6. inquit, sicut Pelagiani putabant liberum
arbitrium tolli, si à gratia præuenitur, Denique
Fulgentius lib. de Incarnat. & grat. cap. 19. & 20. ait,
Sicut in generatione carnali præcedit Dei operatio
omnem hominis generati voluntatem, vel affectum,
& sicut in conceptione Christi, Spiritus sancti ope-
ratio Virginis operationem antecessit, ita in ipse
tuali hominis generatione, non præcedere volun-
tatem hominis sed subsequi Spiritus sancti ope-
rationem. Ratione item ostenditur, quia si illud con-
sequens admittatur, deferuntur, & è medio tollitur
gratia præueniens, quia ipsa præueniret à libero
arbitrio facienti quod in se est. Consequens autem
est contra doctrinam certissimam, quam in ista
trademus, ergo.

Sextò, quia aliàs Deus expectaret hominis vo-
luntatem antequam spiritum gratiæ infunderet,
seu primam gratiam inspiraret. Consequens est
falsum; ergo. Sequela patet, quia si Deus dat gra-
tiam suam homini facienti quod in se est per vo-
luntatem suam, necesse est ut expectet, quid homo
faciat, priusquam gratiæ suæ illum præueniat,
quando enim ut promissio sub conditione, ex-
pectatur eiusus conditionis, priusquam effectus
promissionis conferatur. Falsitas autem conse-
quentis patet, quia repugnat directè definitioni
Concilij Arausiani cap. 4. Nec satisfaciatur, qui di-
xerit, licet Deus det primum auxilium gratiæ faci-
enti quod in se est, non tamen expectare ut id fa-
ciat, nam sæpe vocat hominem non facientem bo-
num quod in se est, imò facientem omne malum
iuxta illud Isa. 10. Inuentus sum à non querentibus me.
Hoc (inquam) non satisfaciatur, quia definitio Con-
cilij vniuersalis est, quod Deus neminem expectat,
& gratia in nullo est pedissequa, nam ratio gratiæ
in nullo destruitur. Vnde etiam Semipelagi dice-
bant non semper Deum expectare liberum arbi-
trium, sæpe, imò & regulariter præuenire volun-
tates etiam prauas: & nihilominus, quia in aliqui-
bus contrarium ordinem nonnuquam admi-
tebant, damnati fuerunt. Ergo multo magis reici-
enda est hæc sententia quæ è contrario docet Deum
regulariter vocare eum, qui facit quod in se est, licet
et aliquando id non expectet.

His argumentis putant hi authores satis excludi
& improbari legem illam & promissionem, seu
quasi pactum inter Deum & Christum dandi pri-
mam gratiam supernaturalis auxilij proxime sus-
ficientis, omni homini facienti quod in se est, &
consequenter reprobant promissionem illam in-
tellectam de homine operante sine tali auxilio, &
solum in eo sensu credendum posse sustineri, quod de
homine faciente quod in se est, per primum auxi-
lium supernaturale explicatur. Verum tamen quan-
tam vim habeant obiectiones factæ contra catho-
licam

Opinio af-
firmans vi-
detur fau-
ere semper.

D. Thom.

Gratia vera
secundum
Augustinum
quæ.
Prosper.
Psalm. 53.

Fulgent.
Diacon.

Ambros.

Ad Tit. 3.

4.

licam sententiam probè intellectam, postea videbimus: nunc solum addimus hos impugnatores non respondere ad difficultatem propositam de generali lege dandi auxilium sufficiens omnibus adultis: nam si illam omnino de medio tollunt, evertunt axioma certissimum, per Deum non stare quominus omnes homines saluentur, & omnibus adultis dare auxilium sufficiens, quantum in se est. quod adeò videtur fundatum in Scriptura, Patribus, Redemptione Christi, & misericordia Dei, ut negari non posse videatur, vel si illam legem non omnino negant, oportet ut nobis declarent, an illa lex fuerit cum promissione omnino absoluta, & nullam conditionem includens, vel cum aliqua limitatione, & conditione fuerit.

Nam si primum dicant, coguntur etiam dicere talem legem & promissionem habere effectum in omnibus, quod incredibile est, & ipsi in suis argumentis contrarium supponunt, nimirum Deum sua voluntate multis non dare talia auxilia, etiam si sint in omnibus naturalibus conditionibus siue naturalibus, siue liberis aequales, & hanc dicunt esse admirationem Augustini, quæ secundum Prosperum ex vlu liberi arbitrii solui non potest, & exemplo parvulorum id confirmant, putantque eandem esse rationem de adultis, quæ omnia sunt contraria illi legi pro adultis late cū absoluta promissione. Si vero lex illa conditionem includit, cur legem ipsam absolute & sine vlla distinctione impugnant? Cur item conditionem illam nobis non declarant? vel si declarare eam possunt, cur non in eodem sensu Catholicos Doctores interpretantur? Denique admissa illa lege sub aliqua conditione, necessarium est ut talis conditio à libero arbitrio naturali pendeat, quia nec potest esse necessaria, vel impossibilis, alias esset impertinens, nec potest gratiam supponere, cum ad primam gratiam dandam requiratur. quod si hoc modo conditionem ponant, omnia eorum argumenta corrumpunt, ut facile consideranti patebit & in discursu sequentium capitulum nos explicabimus.

CAPUT XIV.

Tractatur tertia opinio, quæ partim à precedentibus recedit, partim cum utraque convenit.

Inter duas precedentes opiniones tertia veluti media hoc tempore introduci cepit, quæ affirmat cum prima, seruanti legem naturalem infallibiliter dari à Deo auxilium supernaturale sufficiens ad fidem & iustitiam supernaturalem & admittit id fieri ex aliquo merito boni vsus libertatis in obseruatione legis naturalis fieri sine aliqua gratia ordinis naturalis, quam in vocatione congrua naturali constituunt, eamque putant sufficere, ut gratia fidei, siue auxilij supernaturalis ad fidem sit vera gratia, quia licet propter aliquod meritum detur, hoc procedit ab aliqua gratia priori, propter Christum data, & ita est gratia pro gratia. Et propter hoc putat hæc opinio satis discrepare à sententia Semipelagianorum, & soluere argumenta precedentis opinionis in capite superiori posita.

Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia necessarium est fateri, Deum dare omnibus hominibus adultis sufficiens auxilium ad salutem, cum sine fide nemo saluari possit. At verò hoc auxilium supernaturale ad credendum in re ipsa &

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

actu, (vel sic dicam) non omnibus datur, non enim ad omnes peruenit fidei prædicatio, vel vocatio, ut supponitur tamquam manifestum: ergo necesse est, ut detur, saltem in præparatione voluntatis Dei, seu quantum est ex parte ipsius: ergo ex parte eorum, quibus non datur in re ipsa aliquid, desideratur, propter cuius defectum non datur: ergo illud nihil esse potest, nisi obseruatio legis naturalis, seu bonum aliquod morale naturalis, quid enim aliud ante gratiam fidei in homine dari, vel cogitari potest, quod vel per se conferre, vel cuius defectus obstat possit vocationi fidei? Quidquid enim aliud cogitur siue bonum ingenium, siue bona indoles, siue humana potentia, vel nobilitas, aut aliquid huiusmodi ad vocationem fidei, quæ animi probitatem & sanctitatem respicit, impertinens est, ut optime discurret Augustinus dicta q. 2. ad Simplicianum circa finem. Sola ergo obseruantia legis naturalis desiderari potest in homine nondum vocato, ut vocetur ad fidem. Ergo simpliciter verum est seruanti legem naturalem Deum non denegare superius auxilium ad supernaturalem seruandum, quæ inchoari debet per vocationem ad fidem.

At verò naturalis lex seruari non potest per vires liberi arbitrii: ergo ut illa conditio impleatur, lex naturalis an & ut ad seruandam legem naturalem: ergo optimè potest talem obseruationem tamquam propter aliquale meritum dari vocatio ad fidem sine iniuria gratiæ, quia iam gratia præcedit, & ratione prioris seminis diuini totum refertur in authorem prioris gratiæ, & sic receditur à reliquis Pelagij, & omnia rectè conciliantur. Prima propositio subsumpta probatur ab authoribus huius opinionis ex illo principio, quod nullum opus bonum morale potest fieri sine gratia saltem congruæ cogitationis, de quo in lib. 2. copiosè diximus. Simpliciter verò probari potest, quia saltem ad seruandam totam legem naturalem non sufficiunt vires liberi arbitrii, sed necessaria est gratia Dei, ut ibidem ostendimus: ut autem homo seruet legem naturæ sicut oportet, ad obtinendam vocationem ad fidem, non satis est vnum, vel aliud bonum opus legis naturalis facere, sed necesse est totam legem seruare, nam qui in vno offendit, est omnium reus, & vnum peccatum mortale sufficit ad obstruendum ostium supernaturalis gratiæ Dei: ergo necesse est ut ante vocationem ad fidem supponatur alia gratia, quæ licet sit inferioris ordinis, det sufficientiam & potestatem ad seruandam totam legem naturalem, alias conditio impossibilis postularetur ab homine ad recipiendum auxilium proximè sufficiens ad fidem, sic enim lex & conditio esset inutilis. Et ita probata est prima consequentia. Secunda verò inde facile patet, quia opus factum ex gratia est aliquo modo meritorium subsequenti gratiæ. Potest ergo vocatio ad fidem cadere sub tale meritum, sine iniuria gratiæ, & sine cogitatione Semipelagiani erroris, qui fidei initium soli libero arbitrio, sine vlla gratia tribuebat.

Hæc sententia quatenus ait, seruanti legem naturalem dari vocationem supernaturalem ad fidem, cum prima coincidit, & de illis iudicium feremus in cap. sequenti; quatenus verò difficultati respondet ex sola gratia præueniente cogitationis congruæ naturalis, & solum propter istum modum loquendi à Semipelagianis se satis discrepare putat, nobis difficillima visa est semper, ut lib. 2. dixi, nec nunc aliter de illa sentire possumus. Prius autem cedens modo, quia cogitatio congrua antecedens vocationem ad fidem non habet rationem gratiæ, nisi ratione congruitatis, quia in reliquis naturalis est, etiam iuxta illam sententiam, neque etiam in illo genere

Consequentiæ prima. Altera consequentia.

Cogitatio antecedens vocationem ad fidem non habet rationem gratiæ.